

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Prologus.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

verum etiam post fata tristis illum conditio manet. Castrati magnae deae sacerdotes, qui circulatorio more vicatim omnia circumferebant, quibus ad peragenda sacra erat opus, asinum quaestus gratia secum ducere, atque illi deportandas sarcinas imponere solebant. Cum is labore et plagiis misere oppressus tandem exspirauerit: pellem mortuo detrahunt, atque tympana faciunt sibi, quorum in sacris frequens erat usus. Roganti, quidnam fido fecissent comiti suo? respondent: exantlatis tot molestiis atque laboribus, mortem sperabat sibi solatio et securitati esse tandem futuram: **fed** ecce, nunc aliae in mortuum illum conferuntur plagae.

LIBER IV.

Prologus.

loculare tibi videtur: et sane leue,
Dum nihil habemus maius, calamo ludimus.
Sed diligenter intuere has naenias;
Quantam sub illis vtilitatem reperies?
Non semper ea sunt, quae videntur, decipit
Frons prima multos, rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.
Hoc ne locutus sine mercede existimer,
Fabellam adiiciam de mustela et muribus.

Insignis fabularum usus.

Iocis risuque noster fortassis tibi dignus vindetur esse labor. Et profecto, quod grauius non suppetit argumentum, vt pastores tenui calamo, sic nos fictis ludimus fabulis. At si velis

at-



attentione maiori lusus cognoscere nostros: mirum, quantum sub illis tibi commodum, quantamque utilitatem promittere possis. Res aliquando longe se aliter habent, atque videntur: primo intuitu fallunt plurimos. Frons, oculi, vultus, quibus facillime sustinetur simulatio, saepe mentiuntur: et raro intelligunt homines, quid industria et solicitude interioribus locis occultauerit. Quod ne frustra dixisse videar: fabellam de mustela et muribus narrabo.

FAB. I.

De Mustela et Muribus.

Mustela quum annis et senecta debilis
 Mures veloces non valeret assequi:
 Inuoluit se farina, et obscuru loco
 Abiecit negligenter. Mus, escam putans,
 Assiluit, et compressus occubuit neci.
 Alter similiter, deinde periit tertius.
 Aliquot secutis, venit et retorridus,
 Qui saepe laqueos et muscipula effugerauit,
 Proculque insidias cernens hostis callidi,
 Sic valeas, inquit, vt farina es, quae iaces.

Fallit externa species saepe rerum incautos.

Mustela, cum senectute confecta musculos non posset arripere veloces, farina exterius ita se volutando oppleuit, vt tota videretur esse farina; et obscuru se abdidit loco, ac si res nullius pretii negligentius asseruata esset. Mus, reputans escam ibi se largam reperisse, laetus exultansque praeda, accedit atque mox comprehensus enecatur. Pari modo et alias corripuit erroris incautos, et esca potiri haud

